

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Biblia Hebraica**

**Majus, Johann Heinrich**

**Francofurti ad Moenum, 1716**

[Praefatio]

[urn:nbn:de:bsz:31-295282](#)



## LECTORI

*Veritatis Hebraicae amatori & fautori*

*S. P. D.*

IO. HENRICVS MAIVS D.



Ouam prorsus voluminum Sacrorum Veteris Instrumenti , quae Hebraico Chaldaicoque sermone dicta & consignata a Viris Θεοπνεύσοις sunt , editionem in lucem nunc producimus , sic , quod speramus , adornatam instructamque , vt non possit non grata & accepta studiosis fontium scrutatoribus esse ; quia tantam Operi laboriosissimo iuxta ac difficillimo operam curamque impendimus , quanta exspectari & adhiberi debuit potuitue. Deprehendet id forte per se ipse Lector benevolus , agnoscatque , si euoluere & conferre cum editionibus omnibus , quotquot haetenus prodierunt , praesentem dignatus fuerit Codicem : cumque rerum testimonia ad futura confidamus , nihil opus esse prolixo verborum adparatu existimamus ad labores sudoresque nostros commendandos. Sed quia non omnes ita perspicaces , veloci & felices sunt , vt uno primoque intuitu cuncta cernere ac discerner queant , res ipsa postulare videtur , vt nonnulla de curis ) 2

## P R A E F A T I O

curis & vigiliis nostris distincte explicateque commo-  
remus.

Primum illud credi velim , nulla gloriolae cuius-  
dam captandae cupiditate inductos nos , sed ipsa neces-  
sitate compulsos fuisse moliri nouam authentici Textus  
editionem ; cum eae, quae antehac prodiere, *Clodianae*  
& *Iablonskianae* essent nimis rarae , *Opitiana* autem &  
*Hoogtiana* valde carae , *Amstelaedamensis* , ab *Imma-  
nuele*, Iosephi Athiae filio excusa, minutior , & minus  
accurata, *Halen sis* denique tardior. Haec incommo-  
da, pauperes cum primis Studiosos prementia, vbi tacita  
mentis commiserantis aestimatione pensitauimus, non  
potuimus non de remedio esse solliciti , & vota nostra  
Bibliopolis explicare ; sed surdas multorum pulsauimus  
aures, donec tandem Francofurti *Ioannes Philippus An-  
dreae*, Vir de Republica literaria ob plurimos ab ipso edi-  
tos libros , eosque satis vastos , meritissimus , suam de-  
clararet operam in promouendis piis conatibus, omnes-  
que consilii rationes iniret , quomodo exspectationi  
cultorum amatorumque limpидissimorum Israelis fon-  
tium faceret satis. Eo nomine singulati ingenii acumi-  
ne excogitauit artem consonantes Ebraicas vna cum vo-  
calibus & accentibus exsculpendi , ne , quod fieri solet,  
inter imprimendum loco mouerentur, & mendis locum  
facerent bene multis. In plerisque res feliciter cessit ;  
in omnibus tamen expleri spes non potuit : neque du-  
biu[m] est , quin , si in peritiorem incidisset sculptorem,  
nitidiores characteres essent ; sunt tamen, vt opinor, sic  
com-

## A D L E C T O R E M.

comparati & efformati, vt oculatos non fallant, sed clare oculis veram & certam lectionem ingerant.

Deinde id dedimus operam sedulo, vt Exemplar non ante praelo subiiceretur, quam diligentissime a mendis purgaretur, & ad optimorum Codicum, tum manu exaratorum, tum impressorum, fidem emendatur. Nullus igitur locus esse amplius potest accusatio[n]e celeberrimi, & de melioribus literis, speciatim quoque Hebraicis, immortaliter meriti Viri, DN. Danielis Ernesti Jablonski, Potentissimo quondam Borussiæ Regi, FRIDERICO III. a Sacris, & Ecclesiar. Vnitar. Frat. per Poloniam maiorem & Pruss. Senioris, quando in limine praefationis scribit, se propterea secutum Editionem Cl. Leusdenii posteriorem, quae anno MDCLXVII. prodiit, potius quam D. Clodii, Antecessoris nostri optimi, quod hic plurima, quae stylum censorium merebantur, intacta praeterierit, & quae-dam bene habentia, cum mendi suspecta haberet, corru-perit, alibi Athianos errores novo errore auxerit, non tollendo menda, sed mutando, & solius fere Analogiae Grammaticae, & Codicum quorundam impressorum subsidio ad Biblici Textus recensionem accesserit, absque manuscriptis Codicibus, absque Masorae collatione, absque recentis illius & docti Hebraeorum Critici R. Menachem de Lonzano, in Tractatu Or Thora suffragio, immo absque penitiore Accentuationis metricae cognitione.

Tametsi enim lubentes prudentesque fateamur, nos Archetypi vice secutos esse Clodianam editionem, quae A. 1677. (9) (4) 3

## P R A E F A T I O

A. 1677. Francofurti recusa est, quia B.D. Pfeifferus  
(<sup>a</sup>) eam accuratissimam & Ebraizantium studiis com-  
modissimam pronunciauit; non tamen improuide aut  
incaute illam fecuti sumus, sed denuo secundum Gram-  
maticae & Accentuationis analogiam examinauimus,  
& non tantum cum *Iablonskiana* & *Opitiana*, sed aliis  
etiam praestantissimis editionibus, quas priores vel ne-  
glexerunt, vel non habuerunt, studiose contulimus, no-  
minatim *Münsteri* A. MDXLVI. *Veneta* A. MDCXIII.  
& *Genevensi* A. MDCXVIII. impressis, quae melioris  
notae sunt.

Nec defuere nobis *Codices Manuscripti* celebres.  
Nam praeterquam quod iam ante triginta annos, & am-  
plius, Celeberrimo Dn. *D. Opitio*, enixe a me petenti,  
pro eo ac debui, non pauca loca notaui ex antiquissi-  
mo Codice MS. membranaceo, quem ciuis meus, *D. Io. Reuchlinus*, vulgo *Capnio* dictus, a FRIDERICO  
III. Romanorum Imperatore, dono acceperat, quiue in  
**SERENISSIMI MARCHIONIS BA-**  
**DA - DVRLACENSIS** Bibliotheca tanquam  
aliquid adseruatur, ac de quo copiose retuli in  
vita Reuchlini, (<sup>b</sup>) non destiti a **SERENISSIMO**  
**HASSIAE LANDGRAVIO**, Principe ac  
Domino meo Clementissimo, A. MDCCVIII. humili-  
ter rogare, ut apud **CELSISSIMVM DN.**  
**MARCHIONEM** pro me intercedens impetra-  
ret

(<sup>a</sup>) Critic. S. p. 27. §. 15.    (<sup>b</sup>) pag. 529. ss.

## A D I L E C T O R E M.

ret duorum Codicum MSS. transmissionem, ad fidelem collationem. Obtinuisse quoque sine mora ambos Codices, nisi eo tempore adhuc Basileae delituissent, aut tuto transferri potuissent. Ante bienium tamen, pace Germaniae & patriae meae reddita, relatisque *Caroloburgum* dictis voluminibus, compendiosiori via rem ad gressi, indultu **SERENISSIMI PRINCIPIS**, omnia atque singula loca, de quibus certiores reddi volebamus, per Virtutem admodum Reuerendum, DN. I. C. Zandtium, tum Pastorem Ecclesiae Durlacensis, & Professorem Theolog. in Gymnasio illustri ibidem doctissimum, accepimus.

Communicauit etiam, pro sua humanitate, nobiscum *Pentateuchum MS.* multi pretii, Vir de Antiquitate Hebraica meritissimus, & Clarissimus, DN. HENRIC. IACOBVS van BASHUYSEN, cui propterea publico nomine obstrictos nos esse grati profitemur.

Commodum quoque & exoptato accesserunt diversi codices MSS. ex Bibliotheca instructissima, & nulli secunda, Generosissimi DN. ab VFFENBACH, quos inter vnum cum primis, ordine VI. venerandae vetustatis, aetatem quippe septem fere saeculorum prae se ferens, accurata elegantia illustris, continens libros S. Codicis Historicos, Propheticos, ac reliquos ordine omnes ad finem usque, scriptus singulari industria cum punctis vocalibus, accentibus, ac ter gemina Masora, memorandus venit;

## PRÆFATIO

venit ; de quo plenius referet Filius meus in *recensione Bibliothecæ Vffenbachianæ*, quoad Hebraica & Graeca volumina.

Ita nec nimium festinanter , nec temere opus hoc arduum adgressi sumus , sed deliberato satis consilio , & diuturno temporis spatio. Multos quippe annos duro huicce labori impendit Vir Clarissimus , & de literis Hebraicis optime meritus , M. Georgius Christianus Bürcklinus , meus a puero fere discipulus Durlaci indefessus in orientalibus linguis , deinde Edzardi , Ludolfi , Opitii lateribus adhaerens : qui non ipse tantum , sed & sociata peritorum hominum opera , diurna nocturnaque manu versauit sacra Volumina , eaque saepissime re-legit , attentoque studio cum probatissimis Codicibus , paulo ante memoratis , & aliis , contulit . Ei igitur plurimum debet debitque Hebraizans iuuentus . Longum foret enarrare singula , quae summa fide & industria præsttit ; iuuabit tamen ex multis pauca referre , specimenis duntaxat loco , ne magnificentius quam verius iactare quaedam videamur . Mihi enim propter cumulatos labores & grauiora negotia non licuit , syllabas , apices , vocales , accentus & alia sigillatim intueri , expendere & diudicare ; sed omnes molestias sustinuit & deuorauit Bürcklinus noster , & , vbi necesse fuit , nostrum requisuit consilium & auxilium , cui , quantum potuimus , nunquam

## AD L E C T O R E M.

quam defuimus : neque tamen polliceri ausim , omnibus numeris absolutum opus hoc esse , quod ne sperari quidem exspectariue ab homine potest vno , licet Argus esset , eoque oculatior . Typothetarum incuria & negligentia saepe fit , vt correcta licet non semel , haud corrigantur , absente praesertim correctore . Suppetias quidem tulit , & auxiliatrices manus libenter ac promite praebuit , quoties desiderata eius opera fuit , Vir Clarissimus DN. IO. IACOBVS SCHVDT , Conrector Gymnasii Francofurtensis celebris , ac de literis Hebraicis optime meritus ; sed ne sic quidem impediri forte potuit , vt non sphalmata aliquot remanserint , quae tamen , vt opinamur , non tanti erunt , vt morari lectores , aliquantum peritos , possint .

Mihi nihil magnopere tribui aut imputari velim . Directorem operis vocari me passus sum , & quae e re videbantur , in medium consului ; an recte omnia , definire non ausim . Nouas Capitum inscriptiones fecimus , reiectis veteribus omnibus , partim minus accuratis , partim nimis prolixis . Secuti de industria summis *Oeconomiam Temporum* , ante decennium construictam , & inde velut summam decerpsumus , quo Studiosi facilius memoria tenere possent ibi tradita , & a me in Collegiis quotidianis exposita . Non tamen ita suffenus mihi sum , vt non a me ipso , meliora edoctus , discedam , aut aliis mea obtrudere cupiam .

Haec

X X 2

## PRAEFATIO AD LECTOREM.

Hacc fere sunt, de quibus monendum esse benevolum Lectorem censuimus. Quid praestitum sit, a Dr. Bürcklino, ex ipsiusmet obseruationibus subiectis cognosci facilius potest.

Desino ego in votis, precatus a DEO T.O.M. omnis boni fonte perenni, ut, cum copiam denuo fecerit Studiosis fontes Hebraicos adeundi, eum omnibus atque singulis animum inspiret, quo non tantum auditores & lectores, verum etiam factores verbi sanctissimi sint, aut fiant. Diuinum profecto munus est, quod nobis offeratur; id negligere, vel rursus explodere atque reicere, impiissimum foret factum, & sacrilegio grauius: neque dubium est, quin, ut vere pronunciauit Melanchthon, Deo daturi poenas sint sacrilegi linguarum contemtores, quum vastitatem atque exitium minentur religioni, quae sanctae linguac beneficio propagata & conseruata olim fuit; at studio eius neglecto, non modo purior coelestis veritatis doctrina sensim paulatimque decreuit, sed foedi etiam errores ac grauissimae haereses in Ecclesiam irrepserunt. Quod ne nostra accidat socordia & somnolentia, omnibus modis cauendum, & attendendum est firmiori propheticō sermoni, quem habemus. Quare, quod Seruator de Daniele dixit, ὁ ἀριγνώσκων νοέτω, id de vniuerso S. Codice dictum omnibus esse merito censemus.

De proper. Giessae Hassorum d. xxii. Febr.  
A. O. R. MDCCXVI.

M. GEOR.